



R.P. Richardi Lyncei ... Vniversa Philosophia Scholastica

Complectens Physicam, siue Scientiam de Corpore naturali

Lynch, Richard

Lvgdvni, 1654

Tractatvs III. De dependentia materiæ primæ, à formis substantialibus, in
compositione essentiali corporis naturalis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95236](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95236)

eam emendicet à forma, haud tamen vna superest ratio cur materia subiectum dici, & contra forma intra proprios formæ fines sistere debeant. Ex dictis etiam liquet, ad confirmationem argumenti: nec enim ideo accidens est forma substantiæ, quia ei modum essendi siue esse quoddam intrinsecè communicat, cum substantia talem essendi modum: taleve esse de se non habeat: hoc siquidem esse falsum, constat ex dictis supra, contra P. Hurtadum, & ne leuissimè colligitur ex B. Thoma, quippe qui loco nobis obiecto, absolute loquitur, cum tamen propositio, instar antecedentis, in confirmatione argumenti assumpta, & à nobis iamiam negata, haud sit absoluta, sed causalis. Rationes ergo, cur substantia sit subiectum accidentis sui, & hoc illius forma, independentè ab eius Antecedentis veritate, non desunt, eæque, nisi fallimur, satis probabiles: nempe eæ, quas paulò supra protulimus.



TRACTATUS III.

De dependentia materia prima, à formis substantialibus, in compositione essentiali corporis naturalis.

CAPVT PRIMVM.

An materia dependeat à priori à forma substantiali.

MERITO arbitror, materiam non dependere à priori à forma substantiali, hoc est ab ea tanquam à vera causa minimè dependere. Ita Suarez disp. 15. Metaph. sect. 8. à num. 16. Arriaga disp. 2. Phys. sect. 6. Valquez & communiter nostri. Ita etiam Scotus in 2. dist. 12. quæst. 2. & cum eo communiter Scotista: Neque non Gregorius ibid. quæst. 2. art. 2. Item Auicenna lib. 6. Metaphys. & Henricus quodlib. 1. quæst. 11. Probatur autem, quia si materia à forma substantiali tanquam à vera causa, siue à priori, dependeret; maxime tanquam à causa formali: at dependentiam velut à causa formali nequit ab ea sortiri: ergo nullam.

2 Maior argumenti nostri perspicua est: siquidem materia non dependet à forma tanquam à causa efficiendi, alias forma naturaliter creari & materia ab agente naturali effici possent: vtrumque autem est impossibile. Deinde materia non dependet à forma, tanquam à subiecto; aliàs materia generaretur, dareturque mutua causalitas in eodem genere. Rursus materia non dependet à forma in genere causæ finalis absolute; quia finis materiæ, non tam est forma, quam compositum: & quamuis materia in genere causæ finalis à forma dependeret, certè id impertinens esset ad præsens institutū, quod non de dependentia intentionali finis propria, sed de dependentia physica, est: sola ergo causa formalis reliqua est, in cuius genere possit materia à forma pendere: id quod ipsi etiam Thomistæ, contra quos disputamus, ingenuè fatentur.

3 Porro autem minor argumenti nostri suadet. Primo, quia, si ob aliquam rationem materia à forma in genere causæ formalis dependeret, maxime, quia per existentiam formæ existeret: at hanc rationem esse falsam, ac nullius momenti, probatum est, tract. præcedenti: Secundò, quia si forma esset formalis causa

R. P. Richardi Lincci, Tom. II.

materiæ, & hæc consequenter eius effectus formalis, sanè materia haud posset non produci efficienter ab agente creato, à quo forma efficienter produciatur. Consequens est absurdum. Ergo, &c. Sequela probatur: nam effectus formalis calidi v. g. ab igne efficienter procedit: quis enim neget, lignum ab igne calefieri, seu calidum fieri, aut effici? At non alia ratione, nisi quia calidum est effectus formalis caloris, qui quidem ab igne efficienter produciatur: Si ergo materia est effectus formalis formæ, non poterit non effici ab agente creato, à quo forma ipsa efficitur.

4 Tertiò suadet eadem argumenti nostri minor: quia forma substantialis à materia in genere causæ materialis verè dependet: haud ergo è conuerso materia à forma in genere causæ formalis dependebit: alioqui dabitur mutua causalitas atque prioritas saltem in diuerso genere: quam tamen repugnare constabit in loco. Quartò tandem probatur illa minor, quoniam forma est causa formalis compositi: quæ ergo necessitas cogit ei tribuere influxum causæ formalis in materiam?

5 Enimuerò assertioni nostræ refragantur Caietan. de ent. & essent cap. 5. quæst. 9. Capriol in 2. dist. 13. quæst. 1. Iauellus & Soncinas 8. metaph. qu. 1. Ferraricus 3. contra gentes cap. 4. omnesque Thomistæ vt testatur P. Suarez vbi supra. In eadem sententia sunt Argentinas in 2. distinct. 12. qu. 3. 1. & Durandus ibidem quæst. 2. Idipsum etiam ex nostris videtur sequi Fonseca 5. metaph. cap. 2. quæst. 3. sect. 1. Obiiciunt autè primo Doctores Thomistæ, materiam non habere existentiam propriam, sed existere per existentiam formæ: forma ergo dat esse materiæ, adeoque est vera illius causa. Sed huic argumento factum est satis supra. Obiiciunt secundò, forma substantialis perfectior actualiorque est quam materia: magis ergo est, vt forma causet materiam, quam vt materia sit causa formæ: atqui materia est vera causa materialis ac passiva formæ: hæc ergo, à fortiori, erit vera causa formalis materiæ, eiusque dependentiam à priori terminabit. Verum, vt homo est perfectior sole, & tamen solem non generat neque causat, sed potius è contrario à sole generatur; iuxta commune effatum; *Sol, &, homo generant hominem*; ita similiter, in præsentia, &c. Ratio à priori est, quia, tametsi forma non causet materiam, sed ab ea causetur, optimè intelligitur proficisci posse ex aliis capitibus, quod materiam perfectione superet, nimirum quia compositum perfectius causat constituitque, & quia est prima radix effectiua operationum compositi, quæ quidem multæ sunt interdumque præstantissimæ, nec à materia efficiuntur, sed in ea recipiuntur duntaxat.

CAPVT II.

An materia saltem à posteriori à forma substantiali dependeat?

6 Censeo inprimis, materiam primam de facto existentem dependere à posteriori à forma substantiali: id est dependentiam ab ea habere, tanquam ab effectu, quem materialiter causat, & sine quo vniuersaliter sumpto ex natura rei ac citra miraculum esse non possit, neque conseruari. Ita censent commentator 1. Phys. comment. 56. & lib. 2. comment. 13. Auicenna 2. met. cap. 2. & 3. Themist. 1. Physic. digression. vltima, Soncinas 5. metaphys. qu. 1. Plotin. Enead. 3. lib. 6. cap. 14. Arriaga disp. 11. Phys. sect. 6. subf. 3. n. 11. Hurtad. disp. 5. sect. 9. §. 141. Conimb. 1. Physic. 9. q. 6. art. 3. & Suarez citata disp. 15. met. sect. 8.

sect. 8. n. 9. vbi ait hanc sententiam frequentius esse receptam à Philosophis & Theologis.

- 7 Probatur primò, quia longè perfectior est forma materialis equi v. g. ne quid dicam de aliis formis, quam materia prima; præsertim, si quod eam August. propè nihil appellat, de illa positivè ac provt condistinguitur à priuatione, intelligatur, vt communiter intelligi solet. Atqui forma materialis equi naturaliter existere sine materia nequit, vt omnes farentur, vtque in sequentibus ostendemus. Materia ergo è contrario sine forma naturaliter existere nequibit. Dices, formam equi, per actionem generativam & à materia essentialiter dependentem, produci; ideòque independentem à materia eam existere non posse: hæc autem ratio in materia non militat. Contra tamen sic insurgo: quia si materia, modo cum forma, modo sine illa, naturaliter produci potest, cur etiam forma modo dependentem à materia, modo verò independentem ab illa produci, & creationem cum generatione commutare nequeat? Aut cur omnis productio formæ à materia à priori dependeat, & contra omnis productio materiæ non dependeat à posteriori à forma? huiusmodi enim dependentia à posteriori non est contra rationem actionis creativæ.

- 8 Secundò probatur nostra sententia, quia materia prima naturaliter nequit esse substantialiter incompleta: sed sine forma omni substantiali substantialiter esset incompleta: ergo ex natura rei nequit esse sine quacumque forma substantialis ordinis. Maior probatur ad homines, contra aduersarios, qui substantiam existimant esse veluti formam quandam substantialem naturæ, quæ cum ea totum per se constituit. Siquidem natura humana v. g. naturaliter esse nequit sine substantia, siue hypostasi: at non alia de causa, nisi quia, vt potè sine comparte, est substantialiter incompleta: ergo, &c. Maior ostenditur: tum quia dari naturam humanam sine substantia, est dari humanitatem sine homine, quod supernaturale & miraculosum tam esse quis ambigat, quam reperiri albedinem sine albo? Tum quia Deum assumpsisse naturam humanam sine propria substantia, miraculum proculdubio fuit: à fortiori ergo conservari naturam humanam absque vlla substantia propria, vel aliena, miraculosum erit, rerumque naturis contrarium.

- 9 At dices, animum rationalem esse substantialiter incompletum sine materia: & tamen esse posse absque illa naturaliter, ac citra omne miraculum. Verum hæc occasio nulla est: quia idem animus rationalis, quamvis substantialiter incompletus, existere nihilominus potest naturaliter absque materia, quoniam excellentissimas quasdam habet operationes à materia prorsus independentes, & quas nisi extra illam non valet exercere: haud enim, corpori vnitus, potest v. g. substantiam vllam, haud res spiritalis ordinis quidditatiuè ac per species proprias cognoscere. Sed materia prima nullas habet operationes vllius pretij, quas cum forma possit exercere, & sine illa non possit; quin imò absque forma tanquam vilis quædam & inutilis massa sorderet.

- 10 Tertiò etiam nostra probatur opinio: quia materia nequit spoliari forma substantiali, nisi vi alicuius contrarij: at nullum est contrarium, quod materiam omni forma substantiali naturaliter possit spoliare: absolutè ergo nequit materia naturaliter, ac citra miraculum, omnis formæ substantialis iacturam pati. Maior probatur, quia essentia absque suis proprietatibus, nullo interueniente contrario, haud potest naturaliter reperiri: vt cernere est in aqua, quam certum est, sine agente aliquo calido, frigore sibi congenito

naturaliter non posse destitui: similiter ergo materia prima, absque interuentu alicuius contrarij, naturaliter nequibit omni forma substantiali denudari, omnivè expers conservari. Minor autem eiusdem argumenti suadetur, quia omne agens naturale pristina forma materiam primam spolians, novam formam in eam imprimere atque introducere nititur: nullum ergo agens naturale, materiam primam, omni forma substantiali potest denudare. Antecedens vsque adeo experientia testatum est, vt inde fluxerit Philosophicum illud axioma, à nemine non receptum; *generatio vnius est corruptio alterius*; & illud aliud, *natura nunquam intendens ad malum operatur*: id est nunquam destructionem vnius formæ propter se, sed propter alterius introductionem, molitur.

Replicabis tamen, vi agentium naturalium materiam spoliari non posse omni forma substantiali, vbi semel aliquam adeptam sit: & hoc solum discursu à nobis factò demonstrari: cæterum, absque vlla forma substantialis ordinis eam naturaliter primò produci potuisse. Contra tamen facit, quod eadem ratione fingi posset, materiam primam absque quantitate, & hominem absque potentia intellectiva, naturaliter potuisse primo creari: esto nec materia prima quantitate, nec homo potentia intellectiva, vi vllius agentis contrarij, naturaliter spoliari sustineant. Consequens autem est ridiculum: quis enim absque miraculo fieri posse credat, vt homo sine intellectu existat, aut materia existat, quæ tamen quanta non sit, seu, quod perinde est, quæ nec magna nec parva sit absolute? tametsi intellectiva potentia ab homine & quantitas à materia supponantur realiter distinctæ, vt modo disputandi gratia supponimus.

Quartò denique probatur nostra & verior sententia, hunc in modum. Ideo hominem v. g. sine accidentibus communibus omni homini naturaliter esse non posse iudicamus, quia nunquam homo sine bona eorum parte existit vsquam aut vnquam visus est. Atqui materia prima nunquam existit extititve sine forma substantiali: nisi ergo aliunde oppositum constet, iudicandum ac pro comperto habendum est, sine ea non posse naturaliter existere, aut in rebus esse. Maior est perspicua. Minor probatur, quia materia prima nunquam hucusque extitit, sine quantitate, figura, colore, aliisque id genus: at eiusmodi accidentia & operationes præsupponunt necessario formam aliquam substantialem in materia: hæc ergo substantialiter informis nunquam extitit. Quod præfata accidentia & operationes præsupponant, necessaria ratione, aliquam formam substantialem, exploratum est: nam si materia prima absque vlla forma substantiali præsupposita variis tamen accidentibus & operationibus posset pollere, vnde nobis constaret signum, v. g. ignem, aquam, aliæque similia corpora substantialia substantiali forma esse prædita? & non potius omnia illa indicia formæ substantialis fallere.

Censeo secundò, probabile esse, quod in alia rerum serie possibilis sit materia prima, quæ sine vlla forma substantiali possit naturaliter existere. Suadetur, quia quo magis materia in perfectione crescit, & contra forma in perfectione decrescit, eo magis materia sine forma esse poterit. At materia prima, in diuersis rerum ordinibus, potest esse magis perfecta, & perfecta, in infinitum syncategorematicè: & forma substantialis minus, & minus perfecta, eadem ratione. Eo igitur vsque materia in perfectione crescere, & forma in ea poterit decrescere, vt materia sine forma naturaliter existere queat. Minor inferius tract. 4. probanda est. Maior probatur, quia quod materia prima modo sine forma naturaliter esse nequeat, ex imperfectione

ctione materiæ, & perfectione formæ præcipue oritur, sicut è contrario, quod Deus naturaliter existere possit sine creaturis, ex perfectione Dei, & imperfectione creaturarum, proficiscitur: quò ergo magis in perfectione forma crescit, & materia decrefcit, eo magis hæc sine illa esse poterit.

- 14 Censeo denique tertio, probabilius tamen esse, quod sit impossibilis materia prima, nullius formæ substantialis indiga, & absque omni potens naturaliter existere. Probatur primo, quia quantumvis materia prima in perfectione crescat, tamen ad perfectionem imperfectissimæ formæ substantialis fortasse deuenire non potest: de quo infra tract. 4. Sed nulla forma substantialis materialis sine materia naturaliter existere potest: ergo neque è conuerso. Secundo, quia probabile est hoc, quod est materiam de facto existentem, existere non posse sine forma substantiali, haud oriri ex imperfectione materiæ, & perfectione formæ, qua materiam superat: quantumcumque igitur materia prima ab imperfectione recedat, & forma ad eam accedat, tamen materia in nullo rerum ordine, sine forma naturaliter, existere poterit: antecedens probatur, quia aliàs materia prima sine quantitate, vocatione, aut duratione naturaliter existere posset: siquidem ab iis, & aliis similibus formis accidentalibus, perfectione non superatur, sed potius longissimis interuallis eas superat.

C A P V T III.

Dissoluntur argumenta contra dependentiam à posteriori materia à forma substantiali, superius statutam.

- 15 Nimverò materiam primam, contra quam superius statuiimus, naturaliter existere posse sine omni forma substantiali, tuentur Gabriel in 2. dist. 12. quæst. 1. & 2. Marfilius etiam in 2. quæst. 9. art. 2. in idemque stando rationi videtur inclinare Arriaga disput. 2. physic. sect. 6. subf. 3. num. 1. & 9. Pro qua sententia, primum argumentum esse solet. Si materia prima naturaliter nequiret existere sine forma, certè absque ea supernaturaliter conseruata, peteret suam destructionem. Consequens est absurdum, ergo & illud ex quo sequitur. Consequentis absurditas est in aperto: quia materiæ primæ quantumlibet substantialiter informi melius est esse, quam non esse: quare suum esse, non verò destructionem appetet: quidni enim? siquidem vt omnes Philosophi vno quasi ore fatentur, natura semper id, quod ei melius est, appetit, & quod ei malum est, refugit.
- 16 Sequela verò argumenti probatur, quia conseruatio materiæ sine forma substantiali esset contra leges, & exigentiam naturæ: nihil autem est in rerum natura, quod destructionem materiæ postulare possit, nisi ipsa materia: sola igitur ipsa, in euentu, quo de loquimur, suam postulare destructionem. Minor proximè posita suadet, quia nihil exigere potest destructionem alterius à se distincti, nisi quod ei contrarium est; alias homo v.g. destructionem Angeli naturaliter postulare posset, quamvis ei propriè contrarius non sit: at nihil est in rerum natura distinctum à materia prima, quod ei contrarietur: contrarietas enim omnis est circa subiectum aliquod commune, vt experientia testatur: materia autem prima nullum habet subiectum, in quo recipiatur, sed potius ipsa est primum subiectum, quod cætera recipit.
- 17 Huic argumento respondent aliqui, materiam pri-

mam in primo instanti productionis suæ, sine forma substantiali, naturaliter existuram, eò quòd in illo instanti suam destructionem postulare non posset; nec mirum, quod non posset: is enim appetitus frustra esset, & nunquam posset satiari: quomodo namque materia, ex suppositione existentie suæ, in primo illo instanti carentie omnis formæ, tamen non existere posset aut destrui? Sicut ad satiandum destructionis appetitum oporteret. Cæterum in sequentibus instantibus materiam substantialiter informem naturaliter existere vel conseruari non posse censent, propterea quod tum ipsa materia, in primo instanti existens, destructionem suam interitumque pro sequentibus postulareret; ne videlicet, vt dictum est, quid tam vile, & deforme, in rebus existeret. Cæterum hæc solutio duo satis absurda admittit, nempe materiam in aliquo saltem instanti naturaliter sine forma existere; & alia ex parte eam innatè posse appetere suammet destructionem pro reliquis instantibus: & quidem prius horum capite præcedenti est à nobis abunde impugnatum: posterioris vero falsitas & ex perstrictis paulo supra, hoc ipso cap. satis constat, & ex dicendis infra vberius elucescet.

Alij secundo respondent, vniuersum postulatum esse destructionem materiæ, casu quo sine forma substantiali existeret: ne scilicet (vt iterum prædictum est) aliquid adeo vile & deforme existeret. Contra tamen primo sic arguo: melius esset vniuerso esse materiæ, quantumlibet substantialiter informis, quam eius non esse absolute sumptum: haud ergo postulare non esse materiæ, etiam si hanc substantialiter informem esse contingeret. Secundo argumentor: materia prima, vt vt forma substantiali careret, longè tamen perfectior esset, quam plura accidentia: horum autem destructionem vniuersum non postulat, sed potius eorum existentiam, & conseruationem: materiæ ergo substantialiter informis, à fortiori, destructionem non peteret. Tertio: vniuersum strictè non postulat, ne monstra, quantumvis deformia, in rerum vniuersitate existant, nec hæc miraculosa absolute sunt, sed quodammodo naturaliter producuntur. Similiter ergo materia prima substantialiter informis ratione suæ deformitatis ac fœditatis haud quaquam existeret, contra vniuersi huius exigentiam. Quarto: materia à Deo sine forma substantiali produci posset, vniuerso neutiquam producto, aut existente. At, eo in euentu, productio materiæ, substantialiter informis, haud esset iuxta aduersarios miraculosa & supernaturalis, propterea quod vniuersum materiæ destructionem postulare, siquidem nullum daretur vniuersum: productio ergo materiæ sine forma substantiali, tum esset omninò naturalis: quod tamen est absurdissimum, & ne authoribus solutionis placiturum.

Quidam alij tertio respondent, scientiam simplicis intelligentiæ, siue necessariam, qua Deus scit naturam vniuersi possibilem & materiæ primæ, etiam possibilem, postulare, ne producat in rerum natura materiam primam, casu quo per scientiam mediam videat, se habiturum esse decretum, de non producenda forma substantiali, si materiam sit producturus: cum ergo hæc scientia media necessariò comitaretur decretum productionis materiæ sine forma substantiali, inde est, vt tale decretum esset contra exigentiam diuinæ scientiæ necessariæ, atque adeò miraculosum: consequenter etiam ipsa materiæ existentia tum foret miraculosa, & supernaturalis. At reuera satis frivolum arbitror, in præsentem recurrere ad scientiam Dei: hæc enim rerum naturis accommodatur, nec aliud postulare potest, ad extra, vt aiunt, quam quod res ipsæ,

si existerent, postulare: at destructionem materiæ substantialiter informis, nec materia ipsa, nec vniuersum possent postulare: ergo nec eam scientia Dei postulare. Equidem nec ipsi scientiæ Dei, nec vniuerso, melius esset, non esse materiæ, quantumvis substantialiter informis, quam eius esse: cur ergo scientia Dei eius non esse peteret?

20 Ipse ergo aliter respondeo. In conseruatione materiæ, sine forma omni substantiali, duo sunt consideranda: alterum videlicet, materiam primam absolute existere: alterum verò, eam sine forma existere: quæ, velut continens, & contentum, distinguuntur: casu ergo quo existeret materia substantialiter informis, illud prius foret planè naturale ac neutiquam miraculosum, vt argumento conuincitur, cum nec materia ipsa, nec vniuersum, nec vlla eius pars, postulare posset materiæ destructionem, aut absolutam non existentiam: ceterum posterius prædictorum, eo in euentu, esset miraculosum, & contra leges & exigentiam totius naturæ; propterea quod tam materia, quam vniuersum, postulent, ac tunc postulerent, non existeret materia sine forma. Porro, cum bifariam fieri possit, vt earum altera existat diuinitus sine altera, nimirum vel per destructionem materiæ informis, vel per productionem formæ in illa; substantialemve eius formationem, sanè cum materia & vniuersum postulerent, non existeret materiæ sine forma, haud esset necesse, vt destructionem materiæ appeterent, sed sufficeret, vt solam productionem formæ in materia præexistenti, huiusve formationem substantialem. Itaque, in hypothesi nostræ disputationis, nec existentia materiæ secundum se esset miraculosa, nec carentia formæ etiam secundum se cum miraculo esset coniuncta, sed sola relatio, qua materia prima coexistet carentiæ omnis formæ; quod attentè considerandum est, ne in æquiuoco laboremus.

21 Et quidem, si quid argumentum factum probaret; & accidentia Eucharistica, naturaliter ac sine miraculo, conseruari de facto, absque subiecto probaret: similiterque materiam resolutam in puncta, & absque vlla partium vnione; necnon eandem materiam sine quantitate, si fortè hæc ab ea distinguitur; ac animam sine potentia intellectiua, si supponantur distinctæ, conseruari naturaliter posse: atque vt semel dicam nihil diuinitus sine alio conseruari posse, quod non possit etiam naturaliter: nihil enim, sine alio diuinitus conseruatum, suam ob id destructionem postulare; nec aliud esset, quod eam posset postulare. Atque hæcenus primum argumentum, contra dependentiam à posteriori materiæ à forma substantiali, alteriusque cum altera connexionem naturalem.

22 Secundo contra eam opponi solent verba illa cap. primi Geneseos; *terra autem erat inanis & vacua*: quæ sanè materiam in prima mundi creatione substantialiter informem extitisse indicant: at talis non extitit miraculosè & supernaturaliter: quæ enim esset eius miraculi adeo anticipati conuenientia, aut necessitas? vel quorsum Deus naturam quamprimum creatam inuenteret, & contra eius leges ageret? tum igitur non nisi naturaliter extitit materia prima, sine omni forma substantiali.

23 Respondeo tamen, nomine terræ inanis & vacuæ, de qua Genes. cap. 1. intelligendum esse, non materiam terrestrem omni forma substantiali destitutam, sed terram ipsam, ex materia & propria forma substantiali compositam; sine eo tamen decore & ornatu, quo modo intuentium oculos & animos amœnat, vbi partim dehiscit in valles, partim tumescit in montes, partim apertos expatiatur in campos: vbi hinc

scaturit in fontes, illinc disseminatur in riuos, vbi floribus vernat, frondibus viret, gemmis intermicat, auro & metallis radiat, animantibus spirat, ac demum hominis coronatur imperio. Atque hoc pacto interpretantur eum locum Genes. Benedictus Pereira Cornel. à Lapide Molina, Caietan. & alij expostores & Theologi: Consonat etiam ea interpretatio versioni septuaginta, quæ loco illorum verborum, *terra autem erat inanis & vacua*, habet; *terra erat inuisibilis & incomposita*; necnon versioni Ionathæ Chaldaei, quæ talis est; *terra erat vacua hominibus & inuentis*. Negare non possum gentiles quosdam Philosophos verba illa Genes. de materia prima substantialiter informi, quam dixere chaos, intellexisse, imò ex prædictis verbis eos occasionem arripuisse, materiæ primæ adstruendæ: ita Clemens Alexandrin. lib. 5. Stromat. ibi; & aliqui dictio illa prophetica, *terra autem erat inuisibilis & incomposita*, præbuit eis (scilicet Philosophis gentium) occasionem materialis tradenda substantiæ. At neque me latet, hanc interpretationem Ethnicorum, & quorundam Christianorum, non tantum à nostro Cornelio, mitissimo alicui viro, improbabilem censerem, sed etiam à D. Basilio homil. 2. Hexamer. acerrimè sugillari in hunc modum; *Sed veritatis deprauatores non suam mentem accomodantes scriptura, sed ad suam voluntatem mentem scripturarum trahentes, ac peruerentes, materiam hisce verbis innui dicunt: iis scilicet, quæ ex Genes. adducta sunt: hæc est enim & inuisibilis, inquit, & inornata suapro natura: quippe, cum omni prorsus qualitate, suomet genio & conditione, atque ab omni penitus forma figuræ sit separata, quam opifex vniuersi sumptam per suam sapientiam informauit*. Hæcenus ille.

24 Tertiò opponi potest, contra nostram ac veriore sententiam, superius propositam. Materia prima nullam habet connexionem à parte rei, cum existentia formæ substantialis: nulla igitur forma tali existente poterit à parte rei naturaliter conseruari: adeoque à forma substantiali à posteriori non dependet. Antecedens argumenti suadetur: quia in primis, materia prima non habet connexionem cum existentia formæ substantialis determinatæ, cum sine quauis determinatè sumpta, possit soleatque existere: deinde neque connectitur etiam cum existentia formæ indeterminatæ, siue huius, vel illius, vagè sumptæ: nam existentia formæ indeterminatæ à parte rei, siue quod perinde est, dari in rebus ante operationem intellectus formam indeterminatam omnino repugnat: quidquid enim à parte rei existit, determinatum, & singulare esse debet; omnisque indeterminatio, non, nisi ab intellectu nostro, proficiscitur: materia ergo cum existentia formæ indeterminatæ, siue cum hac, vel illa forma indeterminatè existenti minimè connectitur: aliàs cum aliquo naturaliter impossibili naturaliter connecteretur, quod planè absurdum est.

25 Respondeo, aliquid à parte rei indeterminatè existere posse: quod nescio quo pacto Recentiores quidam Philosophi Præceptores diffiteantur: cum hæc propositio, *aliqua forma existit*, vera sit; ad veritatem autem eius oporteat, vt eius obiectum à parte rei detur: At eius obiectum est existentia indeterminata alicuius formæ: hæc igitur à parte rei existit. Atque adeo connexionem naturalem materiæ primæ poterit terminare. Ceterum nihil à parte rei merè indeterminatè existit, hoc est, quin aliquid inuoluat, quod sit determinatè existens; cum hæc propositio v. g. *aliquis homo existit*, pro aliquo homine determinatè supponere debeat, & respectu eius verificari.

CAPVT IV.

An dependentia materia à forma, alteriusque cum altera connexio, superius statuta, sit summa?

- 26 **S**ummam non esse, sed potius talem, vt diuinitus; ac miraculose possit materia sine omni forma substantiali conseruari, tueretur Suarez disp. 15. metaph. ferm. 9. num. 3. vbi pro eadem sententia refert Henricum, Scotum, Lichetum, Maironem, Bassolum, aliosque Scotistas, ac Richardum, Gregorium, Gabrielem, Marfilium, & Dominicum Sotum. Idipsum docet Balthasar Tellez disput. 22. physic. sect. 2. conclus. 2. num. 11. & apud eum Fonseca, Rubius, Burlaus, & Okamus. Eadem sententia subscribunt Caberus to. 2. physic. tract. 1. disp. 2. dub. 8. Bartholomæus Amicus tract. 5. physica quæst. 4. dub. 5. Connimb. 1. physic. cap. 9. quæst. 6. Cardinal. Tolet. lib. 1. Physic. cap. 7. text. 70. quæst. 13. propè finem Vasquez 1. 2. tom. 1. disp. 25. c. 3. num. 20. Arriaga disp. 2. sect. 6. subf. 2. Petr. Hurtado disp. 5. sect. 9. ac omnes Doctores nostræ Societatis.
- 27 Probatur autem primò, quia in eo, quod materia sine omni forma substantiali conseruetur, nulla est repugnantia terminorum; præsertim cum materia existentiam propriam sibi non vendicat, vt demonstratum est supra; ea igitur conseruatio subterfugere non poterit Omnipotentiam Dei. Secundò probatur, quia forma substantialis etiam materialis sine materia diuinitus conseruari potest; ergo & è conuerso. Antecedens perspicuum est, quia forma accidentalis sine subiecto omni potest conseruari, & etiam de facto conseruatur in Eucharistiæ mysterio; à fortiori ergo forma substantialis ita conseruari poterit, sine vlla subiecta sibi materia: à fortiori, inquam, vt pote, quæ substantia, siue ens per se est, ac proinde perfectior, & à subiecto independentior, quam forma accidentalis.
- 28 Verum dependentiam materiæ à forma summam esse, & quod perinde est, talem, vt ne diuinitus possit vinci, neque materia ab omni forma substantiali separari, docent Argent. Durand. Deza Albertus Magn. Zumel, Medina, Caiet. apud Amicum vbi supra. Item Iandunus, Herueus, Hugo Victorin & Bonau. apud Conimb. loco proximè citato. Nec solum laudati Thomistæ; Sed communiter alij ferè omnes eam opinionem, & quidem summa contentione, propugnant. Ex quibus obiiicies primo: materia nequit denominari existens etiam diuinitus sine existentia: atqui existentia materiæ non est propria, sed forma: sine alicuius ergo formæ existentia nequit etiam diuinitus existere. Caterum minorem in primis esse absolute falsam, materiamque gaudere propria existentia, satis probatum manet tract. præcedenti. Rursus translat materiam non habere existentiam propriam, sed potius per existentiam formæ existere: hoc permisso, cur sicut de facto, iuxta Thomistæ præcipuè nobis aduersarios, materia Christi Domini, vnita eius formæ, existit per existentiam verbi, non posset etiam separata ab omni forma per eandem existentiam verbi existere?
- 29 Obiiicies secundo, pro illa eadem sententia. Si posset Deus conseruare materiam sine omni forma substantiali; aut omnino naturaliter: & hoc falsum esse, supra demonstratum est: aut supernaturaliter, & miraculose: & hoc etiam dici non posse patet, quia aliqui materia peteret suam destructionem, quod repugnat.

Verum huic argumento factum est c. superiori. Obiiicies tertio, pro eadem sententia. Nequit Deus, etiam de potentia absoluta, conseruare naturam sine subsistentia; v. g. humanitatem sine homine: quid euidens? ergo nec materiam sine forma substantiali. Respondeo, quidquid sit de aliorum placitis circa subsistentiam, mihi id iam diu insedisse, quod subsistentia hominis v. g. sit compositum metaphysicum ex eius partibus resultans: nihil mirum ergo, si tam repugnet dari naturam sine subsistentia, quam impossibile diuinitus est, quod, partes, aliquæ inter se vnite, non inferant, neque causent suum totum. At hæc ratio non procedit in forma substantiali, comparatione materiæ: nec etiam alia vlla ratio, quæ sit satis verisimilis, vt, qua solet iudicij grauitate, pronuntiat Suarez, vbi supra.

Obiiicies quartò, pro eadem sententia, à nostris solet. 30 Si materia prima sine omni forma substantiali diuinitus conseruari potest; vel eadem actione, qua modo eam Deus conseruat substantialiter formatam: vel diuersa, & potentiori, ac magis efficaci: at neutram nullò ergo modo fieri, etiam diuinitus, potest, vt materia sine forma substantiali conseruetur, aut existat. Quod non diuersa; probatur, quia materia non dependet à priori à forma substantiali, nec ab ea producitur: ad eam ergo conseruandam sine forma, opus non esset diuerso influxu, & maiori potentiorique, quam antea, quo nimirum concursus formæ suppleretur. Iam verò, quod materia substantialiter informis non conseruaretur, per eandem, eiusdemque speciei actionem, cum ea, qua modo conseruatur vnita formæ substantiali, sic suadetur: si actio conseruatiua materiæ, sine forma, esset eadem, quæ cum illa, sanè etiam volitio, qua Deus materiam ita informem conseruare statueret, eadem esse posset, ac deberet: iam ergo conseruatio illa materiæ sine forma non esset miraculosa, & supernaturalis, sed naturalis, tum quoad substantiam actionis, tum etiam quoad modum volitionis diuinæ, ex qua talis actio procederet.

Dicendum puto ad hoc argumentum, quod præcedentibus melius est, materiam primam conseruatam iri sine forma substantiali, per actionem omnino eandem, eiusdemque speciei cum actione qua nunc substantialiter formata producitur, & conseruatur. Ita Suarez, Hurtado, Arriaga, & Tellez, supra citati. Quod autem opponunt Conimbrenses, & Fonseca, contrarium opinantes. Deum non suppleturum, quidquid forma conferebat in existentiam materiæ, illam actuando, & in genere causæ formalis cauando, nisi diuinus in illam influxus esset intrinsecè potentior, adeoque essentialiter diuersus; hoc inquam, & ad initium numeri præcedentis, & toto capite primo huius tractatus, manet impugnatum, nec vltiori eget impugnatione. Quamuis autem ita se res haberet, nihilominus conseruatio materiæ sine forma foret verissimè miraculosa & supernaturalis, non quidem quoad modum diuinæ volitionis, sed quoad modum aliter sumptum: nimirum, quia licet existentia materiæ primæ secundum se sumptæ naturalis esset, & existentia totius vniuersi conformis; idemque de carentia formæ, seruata proportionem, futurum esset; tamen modus ille, seu relatio coexistentiæ, qua materia prima carentiæ omnis formæ coexistere, haud dubiè cum miraculo cohereret, essetque contra vniuersi, ac totius naturæ exigentiam.

Verum enimverò Recentiores aliqui censent, 32 actionem conseruatiuam materiæ sine forma, in hypothefi de qua disputamus, futuram miraculosam, & supernaturalem, quoad modum diuinæ volitionis, à qua

qua procederet, ac per denominationem ab illa: tunc, enim, inquit, Deus eadem indiuisibili volitione existentiam materiæ & carentiam omnis formæ vellet, decerneretque: talis autem volitio, citra dubium, esset essentialiter atque intrinsecè supernaturalis, ac miraculosa.

33 Falluntur tamen, qui sic disputant: nam, inuariata actione & termino, non est, cur volitio Dei varietur, aut essentialiter diuersa euadat: sed materia prima, & actio, qua produceretur sine materia, essent eadem, quæ modo: quidni ergo & volitio Dei, ad materiam informem terminata, foret etiã eadem? quidni consequenter, sicut modo, essentialiter naturalis? Confirmatur & declaratur. Deus modo non vult, per eandem virtualiter volitionem, vt materia existat, & in ea forma siue actus substantialis: sed potius existentiam materiæ, vna volitione pro priori signo rationis se habente, & existentiam formæ, alia volitione, virtualiter diuersa, & pro posteriori se habente: eo namque ordine, quo sunt res, Deus illas vult: priusque priores, & posterius posteriores. Casu ergo, quo materia miraculosè existeret sine forma, pari ratione vellet Deus existentiam, & carentiam formæ, non per volitionem virtualiter eandem, & essentialiter supernaturalem, sed per duas virtualiter distinctas, quarum altera esset prior, aliãque posterior, & vtraque essentialiter naturalis.

34 Alij docent, conseruationem materiæ sine forma futuram miraculosam, & supernaturalem, quoad modum diuinæ volitionis, non quia actio conseruatiua materiæ volitionem essentialiter supernaturalem terminaret, sed quia eam terminaret carentia omnis formæ in illa: nec mirum, quia tum volitio, qua Deus vellet eam omni forma carere, præsupponeret essentialiter decretum diuinum de conseruanda nihilominus materia: quis autem non videat, esse essentialiter supernaturale in Deo, velle carentiam omnis formæ, supposita materia: & decreto de eius conseruatione? Itaque miraculum, in ea hypothesi, primario consisteret in non productione formæ; conseruatio autem materiæ, secundario, tantum, & ex circumstantia consequenti, foret miraculosa & supernaturalis.

35 Hæc etiam doctrina displicet, quia carentia omnis formæ, in hypothesi de qua disputamus, naturalis esset secundum se: cur ergo diuina volitio circa illam naturalis esse non posset? vt paulò antè in simili arguebamus. Et confirmatur: volitio Dei circa existentiam materiæ, iuxta hos authores, essentialiter non inferret volitionem Dei, circa carentiam omnis formæ, esto eum ea, quasi per accidens, esset coniuncta: non ergo est, cur volitio Dei, circa carentiam omnis formæ, præsupponeret essentialiter diuinam volitionem, circa existentiam materiæ, licet, quasi ex accidenti, ad eam sequeretur: ac proinde, non obstante tali consecutione, non esset intrinsecè & essentialiter supernaturalis, sed tantum quoad modum coexistentiæ ad volitionem oppositam, quam præsupponit; haud secus ac ipsa carentia omnis formæ, ad quam terminatur, esset supernaturalis quoad modum coexistentiæ ad materiam, & hæc similiter supernaturalis quoad modum coexistentiæ ad prædictam carentiam omnis formæ, vt explicatum est. Ac de his hæcenus.



TRACTATVS IV.

De appetitu innato materiæ ad componendum essentialiter, cum formis substantialibus, corpus naturale.

CAPVT PRIMVM.

An detur in rebus appetitus innatus? & quid, ac quotuplex sit?



1 ROBARE hîc ex professo libet, quod detur in rebus appetitus innatus, nullam sequens cognitionem & ab elicitio, ac vitali cognitionis lucem, ac directionem sequente, distinctus: tum quia, huius appetitus frequentissimè fit mentio in Philosophicis, & Theologicis disputationibus; magisque in iis supponitur, quam probatur: tumne, sicut Auicenna, inferius citandus, negat materiam appetere innatè formam substantialem, ita etiam audeat quis, vbiuis eum appetitum negare. Probatur autem primo, autoritate ethnicorum scriptorum. Atque in primis talem appetitum adstruit Aristoteles lib. I. phys. c. 9. text. 81. docet enim ibi, materiam appetere formam, sicut turpe pulchrum, & foemina virum appetunt: quis autem non videat, in materiam, sensus expertem haud alium cadere posse appetitum, quam innatum? Idem docet Philosophus primo ethic. c. 1. ibi: *Bonum est, quod omnia appetunt*: At appetitus, omnibus rebus conueniens, non potest esse elicitus, sed innatus.

2 Consentit Plato in Lyfide, vbi ab eo introducitur Hesiodus inquit, *Vnumquodque appetere non simile, sed contrarium, & aridum appetere humidum, frigidum verò calidum, amarum dulce, acutum obtusum, vacuum repletionem, plenum vacuitatem, ceteraque similiter. Contrarium enim contrario alimentum præbere: simile autem simili minime frui*. Hæc ille. In eadem sententia est, Simplicius, cum aliis in locis, tum in procemio physicorum, his verbis; *Elementa, & reliquas partes orbis vniuersi, & sibi inuicem cedere, & suum amare quaque ordinem, eo esse contenta, æqualitatemque seruare geometricam, planè perspicimus*.

3 Seneca etiam in libro de beata vita cap. 30. elegantissimè probat, declaratque, appetitum illum innatum sciendi, omnibus hominibus communem, in hæc verba; *Natura ad virumque genuit, & contemplationi rerum, & actioni. Nunc probemus, quod prius diximus. Quid porro, hoc non erit probatum, si se unusquisque consuluerit, quantam cupiditatem habeat ignota noscendi, quam ad omnes fabulas excietur? Nauis gant quidam, & labores peregrinationis longissima vi, mercede perpetiuntur, cognoscendi aliquid abditum, remotumque. Hæc res ad spectacula populos contra, hit, hæc cogit præclusa rimari, secretiora exquirere, antiquitates enoluere, mores barbararum audire gentium. Curiosum nobis natura ingenium dedit, & artis, sibi, ac pulchritudinis suæ, conscia, spectatores notantis rerum spectaculis genuit, perditura fructum sui, si tam magna, tam clara, tam subtiliter ducta, tam nitida*